COELESTIS PICTOR

ORATIO

DE

S. IVONE

PAVPERVM PATRONO.

HABITA

AD EMINENTISSIMOS

S.R.E. CARDINALES

A IOANNE PETRO SCHOR ROMANO
Sem. Rom. Cler.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

16

34-6-E-7-

ROMAE, Typis HH. Corbelletti; M.DC.LXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

D. FLAVIO CARDINALI GHISIO.

IOANNES PETRVS SCHOR FEL.

TEMERITATIS *eſſet*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *hanc tibi offerre orationem, & celeri calamo ductam, & rudi ore expreſſam, niſi conſtaret, quanta ſit Tua Humanitas erga meum parentem, in quem collata beneficia exigunt à filio aliquod gratæ officium voluntatis. Hac igitur de*

Digitized by Google

cauſa laudem potius, quàm reprehenſionem audeo ſperare, dum hoc Eminentiæ Tuæ munuſculum ſiſto; eſt illud quidem tenue, ſed luce Tuæ magnitudinis illuminatum, inſtar coloratæ telæ, non erubeſcet, in tantæ Dignitatis proſpectu apparere. Vale.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

MORVM Sanctimonia, EMIN. PRINCIPES, eſt quædam ratio pingendi eò illuſtrior, quod animos exornat, non corpora: & habet pro coloribus virtutes, pro duce non artem, ſed Diuinitatem. Pingit enim ſeipſum Deus dum creat, & Sanctitatis eſt Deum imitari; adeoque quicumque ſanctè agit Deum vel in ſeipſo, vel in alijs colorat.

Igitur non ab re fuerit, Iuonem, cum vitam ſanctiſſimam, hoc eſt Cœlo ſimilem duxerit, nuncupare Cœleſtem Pictorem, quod erit hodiernæ huius laudationis argumentum; quid enim Purpuræ conuenientius eſt, quam color?

Duplex autem cenſetur actio Picturæ, altera ſpeciem rei, ac pulchritudinem repræſentat, altera ſcenæ inſeruit, ac proſpectui: amorem illa concipit, hæc ſtuporem; Atque vtramque Iuo elegantiſſima arte præſtitit, vſus admirabilium coloribus virtutum, & ingenioſæ pennicillo Caritatis.

Et primum quidem imaginem in ſeipſo conformauit eorum morum quibus Deus excellit,

adeo-

Digitized by Google

adeòque primam etiam Picturæ actionem abſoluit, quæ per ſpeciem excolitur. An ſapientiam cupitis veram Diuinæ Naturæ formam? Interrogate Pariſienſem Academiam, quæ decoram Sapientiæ Triadem, Philoſophiam ſcilicet, Iuriſprudentiam, & Theologiam in eo admirata, ſenſit, ſe cuiuſdam nouæ, atque ſanctioris doctrinæ fieri participem, quemadmodum mutat faciem Natura, dum pro ſtellis Solem videt? An expectatis potentiam, cuius ſceptrum ſoli Deo conuenit? Potens Iuo fuit, non quia potenter agebat, ſed quia adiuuabat impotentes, languentes recreabat, firmabat cadentes, iacentes erigebat. Supremus nempe potentiæ gradus eſt, ſubleuare impotentiam. An deſideratis Bonitatem, quæ nihil eſt aliud (vt ita dicam) quàm beneficæ medulla Diuinitatis? Et hanc non modò in ſe non paſſus eſt deſiderari, ſed incredibili quadam ratione in ſe ipſo eam depinxit; & cum Dei ſit proprium iuuare, huc omnes ingenij artes contulit, vt nihil ipſe aliud omnino ageret, quam iuuare. Et fortaſſe hac de cauſa, vt ex ipſo nomine intelligamus illud, quo flagrabat, iuuandi ſtudium, parum hæ voces inter ſe differunt, Iuo, & Iuuo. An demum optatis non ſolum lineamenta Morum, ſed etiam officia Diuinitatis ab Iuone depicta? Hæc etiam ſe offerunt. Duplex vero eſt Dei officium, Iudicis, & Domini. Iudicis certè munus quis ignorat tam

ſanctè

ſanctè ab Iuone expreſſum, vt ſit Iudicum exemplar? Veritati ſeruiebat, non gratiæ: reorum cauſas expendebat, non opes: & iudicij vti arbitram ſeueritatem, ità clementiam volebat admiſtram: ſemper idem, ſeu Procerum, ſeu Plebis acta dijudicaret. Vnicam tamen omiſiſſe videtur Domini prærogatiuam, ratus, eam maxime vni Deo tribuendam. Sed non omiſit; nam accepit Domini officium, cum euaſit pauperum aduocatus. Nemo felicius, & in homines, & in Deum dominatur, quam qui paupertati fauet, ac ſtudet; quippe nemo non ſeruit illi, qui pauperi ſeruit.

Sic Iuo Diuinæ Naturæ mores, & officia quædam accurata imitatione in ſe ipſo depingens, primum Pictoris munus præſtitit; neque alterum prætermiſit, quod per ſtuporem proſpectui, ac ſcenæ tribuitur; ſolet enim interdum Pictor figuras rerum tenui panno ruditer impreſſas, ac ceræ ſplendore illuminatas per opportunam diſtantiam oſtentare, vel multiplicatas, vel amplificatas. Id etiam præſtitit Iuo, & architectantis ingenio Caritatis, & fidei è Cœlo lucentis lumine; hoc tamen diſcrimine, quod illa multiplicitas, & amplitudo per fraudem in pictoris tela, in Iuonis vita ex vero apparet; differt enim ſanctitas ab arte, quod hæc illudit aliquando, illa nunquam ludit. Quis memoret quoties Iuo vnicum panem reddidit ſubitò multiplicem? Quoties aquam con-

continuato vndarum turbine omnia inundantem oſtendit, more terræ, diuiſam? Quoties ignem ardentem repente compreſſit? Tanta fuit eius excellentia in hiſce Cœleſtibus prodigijs concinnandis, vt Deus ipſè, ſi liceat mihi ſic loqui, viſus ſit per ſeipſum velle illam experiri; namque acceſſit ad Iuonis menſam tanquam pauper inter pauperes, ſtatimque ſplendidus euaſit, ac decorus. Vſque adeo morum ſanctimonia Deum pingit. An quia Sanctitatis pennicillus eſt Caritas; nec Caritas repræſentat niſi Deum?

Veſtrum erit, auditores, hanc noſtri Cœleſtis Pictoris artem imitari; neminem enim ea dedecet ars, quam profitetur Deus.

MA

DIXI.

Digitized by Google